



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XLVII. Per peccatum mortale amitti bona temporalia rei familiaris,
sanitatis, & vitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

orationum pro ipso faciendarum fiducia priuari. Ac propterea peccato in eius principio resistent, non sinentes in illud impelli sese, & si in id lapsi sunt, per poenitentiam statim inde exeant, ne mala inualescat consuetudo, eosque de morte culpæ ad æternæ damnationis mortem deducat Est hoc admodum necessarium, & salubre documentum; idque dat S. Augustinus, dicens: *a Quando in animâ nascitur prava cupiditas, antequam robur faciat aduersum te mala consuetudo, elide illam, resistendo, pugnandoque; contra ipsam, implorando ad hoc fauorẽ IESV Christi D. N. in eoque; fiduciam collocando.*

a D. Aug. Ps. 136.

Per peccatum mortale amitti bona temporalia, rei familiaris, sanitatis, & vite.

C A P. XLVII.

Quamuis præcipua, quæ per peccatum mortale incurritur, iactura sit bono-

Z 7

bono-

bonorum animæ spiritualium, & æternorum, tamen ordinavit Deus, ut per illud etiam bona temporalia amittantur; quò sic homines, qui spiritualia, cælestiaque bona parvi æstimant, nec res inuisibiles amant, nec benè intelligunt, veniant in cognitionem gravitatis peccati, & moueantur ad illud timendum, odioque habendum propter iacturam, ac damnum, quod in rebus temporalibus, ab ipsis vehementer amatis, æstimatisque importat. Nec voluit Deus omnes peccatores in hac vitâ damnis temporalibus plecti, sed multos prosperâ vitam agere; ut constet, præter temporalem pœnam, quâ Deus peccatores in hac vitâ afficit, aliam pœnam æternam esse, quâ se de ijs in alterâ vltiscitur. Observat hoc S. Gregorius his verbis: *a Nonnulla peccata Deus in hac vitâ percutit. & nonnulla inulta derelinquit: quia si nulla refecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus, si hic cuncta percuteret,*

a D. Greg. l. 26. mor. c. 18.

ret, extremum iudicium unde restaret?
Quaedam igitur feriuntur, ut rectoris no-
stri super nos sollicitudinem formidemus,
quaedam verò inulta servantur, ut adhuc
iudicium restare sentiamus. Hæc S. Gre-
gorius.

Declaremus nunc diuinæ Scripturæ
testimonijs, & exemplis, has tempora-
les peccati mortalis pœnas. Propter
mortale peccatum aufert Deus impe-
ria, regna, & dominia terræ ijs, qui illa
possident, eaque alijs tradit. Sic ait Ec-
clesiasticus: *a* Regnum à gente in gen-
tem transfertur propter iniustitias, &
b dolos. *b* Nabuchodonosori potentis-
simo Babylonæ regi Deus regnum,
propter ipsius superbiam abstulit. *c*
Balchafari Chaldæorum Monarchæ,
eò quod vasa Templi prophanâset,
nec Deum glorificâset, abstulit Mo-
narchiam Chaldæorum, eamque Me-
dis ac Persis dedit. Nationibus Cha-
nanæorum, Amorrhæorum, alijsque
terram Palæstinæ possidentibus, pro-
pter

a Ecclic. 10. 8. *b* Dan. 4. 30. *c* Dan. 5. 30.

pter ipforum peccata abstulit regna,
 & dominia, quæ in Terrâ Promissionis
 obtinebant, eaque filijs Israël dedit. *a*
 Et his propter ipforum peccata sæpe
 abstulit regnum, ac terram, quam eis
 tradiderat, illamque Chaldæis, & alijs
 barbaris nationibus dedit. Dauidi
 propter eius peccata regnum abstulit,
 permittens, vt filius eius arma contra
 ipsum sumeret. *b* Hunc modum Deus
 iam inde ab initio mundi tenuit, re-
 gna ab his ad illos propter regum, re-
 rumque publicarum peccata transfe-
 rens. Propter peccatum mortale au-
 fert Deus fructus terræ, & hominum,
 iumentorumque alimenta, sinens eos
 fame perire. *c* Sic Scriptura dicit, eò
 quòd *fecissent filij Israël malum in con-
 spectu Domini, eundem Dominum tra-
 didisse illos in manu Madian, & Amalec,*
 qui deuastabant eorum sata, iumenta
 occidebant, nihilque ad vitam perimens
 illis relinquebant. *d* Propter peccatum

Sau-

*a Deut. 9. 5. b 2. Reg. 12. 10. c Iud. 6. 1.
 d 2. Reg. 21. 1.*

Saulis, & populi, eò quòd iuramen-
tum Gabaonitis factum non seruâf-
sent, immisit Deus ingentem famem,
quæ tres annos durauit. *a* Tempore
Eliæ propter populi peccata suspen-
dit aquam nubium, & toto triennio
non pluit, & fontes, *torrentesq;* ficcati
sunt, & omnes homines, iumenta que
fame, ac siti enecabantur. Propter
peccatum mortale immittit Deus gra-
uissimas infirmitates, quibus torquet
corpora, eaque debilitate, ac dolori-
bus consumit. *b* Maria soror Moyfis
propter peccatum *detractionis* perfusa
est leprâ, quæ carnes eius deuorabat.
Ezechia regi, licet vir bonus esset, quia
propter victorias, quas retulit, *eleva-*
tum est cor eius, immisit Deus grauem
morbum, qui ipsum in extremum vitæ
discrimen adduxit. *c* Languidus ille
ad piscinam, propter peccata sua de-
lapsus est in illam infirmitatem, quæ
ipsum triginta octo annos durauit. *d*

Mul-

a 3 Reg. 17. 7. *b* Num. 12. 10. *c* 2. Par.
32. 25. *d* Ioan. 5. 5.

Multi primitiuae Ecclesiae Christiani, ut S. Paulus testatur, mortalibus infirmitatibus à Deo castigati sunt, quod ad sacram Communionem sine debita preparatione accessissent. *a* Propter peccatum mortale Deus vitam hominibus abbreviat; ita ut si naturalem eorum virtutem, & complexionem operari sineret, vitam longam haberent; & hanc eis propter peccata decurtat, adeoque valde breuem sortiuntur. Sic vnus ex amicis Iob, edoctus in hoc à S. Spiritu, dixit: *b* *Impius, antequam dies eius impleantur, peribit.* *c* Et David cum Deo de poenâ, quam homini impio infligit, loquens ait: *c* *Minorasti, Domine, dies temporis eius.* S. Gregorius hanc Dei poenam explicans, *præfixi*, inquit, *dies singulis ab aeternâ Dei præscientiâ, nec augeri possunt, nec minui, nisi contingat, ut ita præsciantur, ut aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breuiores.* Immittit quo-

a 1. Cor. 11. 10. *b* Iob 15. 32. & 22. 29. *Pf* 88. 46. *c* D. Greg. l. 12. mor. c. 25.

que Deus propter peccata populis, & priuatis personis infelices, ac repentinas mortes per hostiles manus, per incendia, per naufragia, per inundationes, per pestes, aliasque horrendas infirmitates, quæ licet iustis, qui benè sunt præparati, beneficia Dei sint, & felices mortes, siquidem eos celeriter è terrâ in cælum transmittunt, suntque eis loco Purgatorij; tamen peccatoribus, qui oscitanter viuunt, sunt poenæ Dei grauissimæ, & infelicissimæ mortes. De filiis Israël, quia in deserto peccârunt, occidit Deus sexcenta millia, partim peste, partim alijs infelicibus mortibus; fueruntque ij, qui de Ægypto à viginti annis, & supra exierunt. *a* Tempore Daudis, propter peccatum populi, quodq; Daud ipse, numerans eum, fecit, immisit Deus pestem, quæ triduo septuaginta millia virorum sustulit. *b* Propter peccatum Heli, qui filios suos non diligenter

COR-

a Num. 14. 29. 2. Reg. 24. 15.

b 1. Reg. 4. 17.

correxerat, fecit Deus, vt ambo vno die morerentur. *a* Propter peccatum Dauidis fecit Deus, vt eius infans moreretur, permisitque, vt Absalom crinibus è quercu pendens, tribus lanceis transfigeretur. *b* Has, aliasque id genus pœnas in temporalibus rebus exercet Deus in homines propter ipsorum peccata, quemadmodum affirmat per Ieremiam dicens: *c* *Mittam in eos gladium, & famem, & pestem, eò quòd non audierint verba mea.* Hisce temporalibus pœnis animaduertit Deus in innumerabiles peccatores, vt constet omnibus odium, quo peccatum prosequitur, vtque timeant supplicia, quibus illud vindicabit. Et si omittit has temporales pœnas in multis peccatoribus, qui in peccatis suis obstinati sunt, exequi, non eò melius cum illis agitur, sed peius; nam postea in æternitate omnia simul solunt; & cum ipsi suâ temporali prosperitate, ac lon-

a 2. Reg. 12. 18. *b* 2. Reg. 18. 14.
c Jer. 29. 17.

longâ vitâ peccata ampliùs cumulâ-
rint, fiunt maiora æterna tormenta,
quodque felicitas videbatur, in ma-
gnam infelicitatem, summamque mi-
seriam definit, quia maioris damna-
tionis causa eis fuit. Et hoc est, quod
S. Paulus cum similibus peccatoribus
loquens, ait: *a Patientia Dei*, quâ te
tolerat, & expectat, benè tibi faciens,
ad pœnitentiam te inuitat; secundum au-
tem duritiam tuam, & impœnitens cor,
thesaurizas tibi iram in die ire, in quo
scilicet à Deo iudicandus, puniendus-
que es. Vt huius pœnæ, quam Deus
de impijs sumet, qualitas meliùs in-
telligatur, aduertendum est, quemad-
modum tribulationes, quas Deus iu-
stis in hac vitâ immittit, exteriùs simi-
litudinem habent cum ijs, quas immit-
tit malis, cum tamen quoad effectum,
vt ostendimus, diuersissimæ sint, siqui-
dem pro iustis, & pœnitentibus sunt
ingens beneficium, ac misericordia
Dei, quia per illas purgantur à culpis,

&

a. *Ad Rom 2. 4.*

& in omni virtute crescunt; pro peccatoribus verò impœnitentibus sunt ingens ira, & pœna Dei, quia per eas deteriores, damnationeque digniores fiunt; sic breuitatem vitæ, quam Deus iustis dat, decurtans eis tempus, quod naturaliter possent viuere, quæ malis est pœna peccatorum ipsorum, vt diximus, illis esse ingens donum, ac pietatem Dei; sicuti testatur diuina Scriptura, dicens: *a Iustus raptus est per vitæ breuitatem, ne malitia mutaret intellectum eius: properauit Deus educere illum de medio iniquitatum, quia placita erat ei anima illius.* Et sic in quacunque ætate iustus moriatur, non moritur extra tempus, sicut impius, sed suo proprio tempore, quia proprium mortis tempus illud est, quod magis homini conuenit ad consequendum finem beatitudinis, ad quem creatus est, & in hoc tempore Deus iustum ad se rapit. Idcirco dicit Sapiens de iusto, quamuis per vitæ breuitatem raptus sit.

a Sap. 4. 11.

lit, *explēsse tempora multa*; quia vixit
toto eo tempore, quo ipsum ad conse-
quendam vitam æternam vivere con-
veniebat. Sic pœnæ temporales, vitæ.
que breuitas, quæ iussis sunt suavissi-
mæ misericordiæ Dei, materies meri-
torum, salutis illorum securitas, &
gloriæ augmentum; impijs, & in im-
pietate induratis sunt ingentes pœnæ
Dei, multorum occasiones peccato-
rum, principium æternorum crucia-
tum, & augmentum ipsorum damna-
tionis. Hæc misericordiæ erga hos, &
iustitiæ erga illos opera testatur S. Pe-
trus, qui Deum propterea laudat, di-
cens: *a Novit Dominus* (ipsique per-
placet) homines iustos, ac *pios de qua-*
vis tentatione, tribulationeque eripe-
re, ordinando, nequid hæc eis in ani-
mâ noceat, ipsosque convenientissimo
tempore inde eripiendo: iniquos verò
& impœnitentes reservat æternæ pœ-
næ, ac supplicio, ad quod eos in die sui
diuini iudicij condemnabit. Timeant
homi-

a 2. Petr. 2. 9.

homines peccatum, odioque habeant iniquitatem, quæ per tot vias, ac per tot pœnas à Deo punitur in hac, & in alterâ vitâ tormentis, damnisque temporalibus, & æternis multatur. Si gratiæ, & gloriæ iacturam non sentiunt, sentiant iacturam fortunarum, honoris, sanitatis, & vitæ. Si non sentiunt tormenta Inferni, quæ non vident, sentiant tormenta famis, sitis, frigoris, ignis, infirmitatum, ac mortium, quæ vident, reque ipsâ in hac vitâ experiuntur. Et per præsentem pœnam aperiant oculos à culpâ sibi clausos, itaque secum ratiocinentur: Si in hac vitâ, quæ non est locus, nec tempus iudicij, iustæque & peccatis æquivalentis pœnæ, sed locus, ac tempus veniæ, & misericordiæ, Deus sic peccata punit tam grauibus pœnis, & tam intolerabilibus doloribus; quid faciet in alterâ vitâ, quæ proprius puniendi locus, ac tempus est, vbi tanta erit pœna, vt in eâ resplendeat infinita ipsius iustitia, & clarè patebit, peccati gravitatem.

tem suo modo infinitam esse, si quidem
punitur pœnâ secundum intensiorem
summâ, & secundum durationem æ-
ternâ? Adijciant quoque hanc consi-
derationem: Si Deus in hac vitâ homi-
nes valdè iustos, & magnos amicos
suos, vt eos à leuibus peccatis quoad
culpam iam dimissis purget, tot tribu-
lationibus persecutionum ab homini-
bus, & Dæmonibus, tentationum spi-
ritualium, infirmitatum, dolorum, an-
gustiarumque mortis exercet; quid in
alterâ vitâ improbis, & inimicis suis
propter graua admodum peccata,
quorum pœnitentiâ non egerint, nec
veniam consecuti fuerint, faciet? Hæc
nunc considerent peccatores, & per
has considerationes gravitatem cul-
pæ, pœnæque magnitudinem sentiant;
animos ad celerem de peccatis, quæ
tot temporalium, æternorumque ma-
lorum causa sunt, pœnitentiam eri-
gant, exequentes illud S. Iobi moni-
tum, dicentis: *a Fugite à facie gladij,*

A a quo-

a Iob 19, 29.

quoniam ultor iniquitatum gladius est; & scitote, esse iudicium. Quasi dicat: Fugite per pœnitentiam, vitæque emendationem, sententiam diuinæ iustitiæ, quæ iustè vlciscetur, iustisq; pœnis peccata puniet: & cogitate, iudicium esse, in quo totius vitæ nostræ rationem Deo reddituri, & malorum operum æternam pœnam, & bonorum præmium, quod erit æterna beatitudo, percepturi sumus.

Incipit tractari de remedijs, quibus vitæ debemus, ne peccatum mortale incurramus, utq; inde exeamus. Et declaratur primum, quod est consideratio magni, quod

Deus habet, desiderij salutis animarum nostrarum, nostraq; ad ipsum, si peccauimus, conuersionis.

C A P. XLVIII.

CVm iam peccati mortalis gravitatem, ac damna, quæ ad illud odio habendum, fugiendumque vehementer